ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Illustri viro
D. Constantino Hugenio, Domino meo clementiss.
S. P. D.

Ad posteriores tuas, magnifice Domine, primum respondeo, quia et minoris negotij est et nunc si unquam festinamus. Loci, de quibus quaeris, prout volantibus se oculis objecêre, omnino hi sunt: Regula Etymolog. videlicet XI. Omnis abest gradus à tinus, toris, dus, iusq; Atq; nus, excipitur strenuus, Piusq; assiduusq; Hic tibi continuo (vide quaeso hominum deliria, maxime virorum) Pogonias aliquis Eros (quem Dij, ob abstrusum et sciscitantem suum illud acumen, donent tonsore) vel Doctor nonnemo umbraticus, in rugas minacissima fronte contracta, aut imperii Reverentiarum suarum Reverendissimum titulum exclamabit ignorari, aut per summum plagium eripi. Scilicet putidissimi mortales, inanis gloriae avidissimi, quia veram nec mereri possunt ipsi, nec digne aestimant, splendorem ejus in alijs non ferunt, infandi bibones, qui dum plusquam talpae domi sunt ac Tiresiae, foris emissitios gestant oculos, et dum probanda negligunt, in caeteris tam acutum cernunt, ac si Argi forent, qui oculeus totus erat. Dum carpunt plerumque semibarbari, semilitterati, semi-latini, quae non capiunt, et in alijs artem desiderant, inertes ipsi, dum pastillos tam curiose cum Ruffillo quaerunt, cum Gorgonio illo Horatiano olent hircum. Si autem magno sudore tandem aliquando invenerint aliquid, in quo arguti esse possint, dici non potest quam sibi scabiosi isti Correctores applaudant. Itaque ego ejusdem fermae farinae nasutulus quidam Grammaticulus in eo saepe aliquando disputabit, Piissimus non satis Latine dici. Et ne scilicet desit auctoritas, vel ipsum audebunt in partes vocare Tullium, qui Marc. Antonium notans Philippic. XIII, quod verbum novum protulisset, Tu porro, inquit, ne pios quidem sed piissimos quaeris, et quod verbum omnino nullum in Lingua Latina est, id propter tuam divinam pietatem novum inducis. Verum et usu, quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi, obtinuit jam satis haec vox, et nihil tant. pessimgl. v. cum alij sine dubio authores classici, tum maxime, qui mihi jam nunc opportune occurrit, Curtij Lib. IX. locus; Vobis quidem, ô fidissimi, Piissimique civium, atque amicorum gratias ago, habeoque

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2194

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Ecce autem ad illum versiculum, Hi tradunt hic acinaces, quibus
addito verres, numerari illo poetarum invidenda felicitate olim a Nob. V. plorare
jussus, Arcadias e corde erigere aures videbit, et, quod ait Theocritus, [illegible]
χρο ingruent ἀνήριθμοι καὶ ἄμετροι: Nec de falcato ense illo, quem
Lucanus harpen, gladium persicum alii, [illegible] Xenophon, ἀκινάκην alii Graeci, nos-
trorum imitatione, Acinacem vocitamus) vacillare te dubitabunt. Exclamabunt aliqui
Stentorea voce, tanquam si Hannibal aliquis esset ad portas, primam in voce Acina-
ces correptam, productam vero alteram oportuisse. Freti enim vero erunt utroque
Flacco, Venusino quidem, qui lib. II Carmin. vinoque canit et lucernis Medus Acina-
ces immane quantum discrepat. Valerio vero, qui dicit, insignis manicis, insignis acinace
dextra. Eodem dente, eodem rostro vellicabunt, impendio [illegible], insontes hosce
versiculos; Graecum sit, masculinum est, ut Ajax, thorax (?), limaxque. Et hunc
Filia, nata, dea, liberta, equa, mula, duae, ambae. hanc itidem [illegible]
regulam, Interest atque refert semper capiunt genitivum. Atque adeo quem pene
ne oblitus eram addere, hunc oppido perstringent grammaticae versiculum,
Hoc aes aeris, hic es, quoties crescit genitivo. Et sane si modeste
suggererent, negari non posset eos aliquid hic dicere, nihil enim planius e. g.
Merces quod et in es exit, et crescit in obliquis, feminini esse generis,
Credo a fato quodam ac augurio, ~~[illegible]~~ (cum maxime nihil gratis aut sine merce-
de faciant feminae) feminini generis hanc vocem esse maluisse ominosam
antiquitatem. Haec fere, qui nunquam magnis virtutibus desunt, Momi qui-
dam, ne nihil in opere omnibus numeris absolutissimo reprehendant, ut ille
olim Veneris sandalium, calumniarentur. Sed cum optima quaeque tantopere car-
pant Zoili, incredibile quam sibi placeant eruditi, ut illis se intelligunt quam
maxime displicere. In his autem, quid excogitent vitilitigatores, videre refert;
Ipse, et ante quam illi aut atro carbone notare, aut ego perscribere potuerim, dudum
etiam, cum scriberes, vidisti, sed ne calones remorarentur, et maxime quia in
tam tetricis ac difficillimis nugis, tam sterili [illegible], aliquid ferendum est, tolerasti:
Quod si in te accusant, vir incomparabilis, non dico Ennium, Naevium, Plautum
accusant, sed Maronem poetarum deum, qui multos versus imperfectos reliquit
et si dicere liceat (quidni autem liceat, et in gente libera liberae etiam linguae
sint) si, inquam, dicere liceat, saepe voces contra Naturam, suumque adeo ipsius exemplum
produxit, corripuitve, postea limaturus, nisi fata invidissent; sed et in ipso cultu
neglecta cultissimum Nasonem, qui naevos in se nonnullos et vidit ipse, et amavit,
quod decentiorem in qua naevus aliquis esset, pulchritudinem arbitraretur. Et nec
ego multis nominibus horum, et tuam V. A. negligentiam aemulari malim, quam ad istorum
accedere obscuram diligentiam.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2194

Quamquam nimis misere optarem, aliquem eorum exsurgere, qui tantillo temporis
spatio, in aliorum negotiorum Oceano, tot versus effunderet potius, quam scriberet.
Sed enim [illegible], ut inquit Theocritus, alibi; ubi
ad nos ipsos ventum est, cessat nunc et vitiose; illic homines frigent. Quibus profes-
so ut adstipuler, religio est, ne sileret unquam genius meus. Quare oro etiam
te, atque etiam, Humanissime Domine, magis adeo quam te rogari pateris, ut ignoscas
mihi, hoc libere assignanti, quod si non ingratum fuerit, habeo gratiam, sin minus
habebo tamen, quod non graviter irascaris. Imprimis autem in eam partem acci-
pias obsecro, ut ~~qui~~ qui ad quantitates syllabarum attendunt, male curiosulos
illos qui in mustaceo laureolam quaerere solent, perstrinxisse existimes; Reliqua
qua omnino duo esse puto, me, iussum, modeste monstrasse. Nam in huiusmodi
versiculis nemo, nisi qui ipse unquam unum bonum scripsit, cultum anxium deside-
ret. Sed quo rapior? pene exciderat cui viro, quamdiu scriberem. Vale
ac ignosce, fama sublimis, eruditione nobilis, nobilitate illustris Domine.

Hagæ Com.
Postr. Kal. Sextil.
MDCXXXIX.

Tuus cliens devotiss.

Henricus Bru[...]

Hoog Edele hooghe Wyse
Heer

Mijn heer Constantijn Huijgens
Ridder, heer van Zuylichem, Raed
en Secretaris
van Syn Hoogheyt

Uit Leyden

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2194